

De Oratoribus Regum & Principum,
ac Republicarum, & Ciuitatum.

S V M M A R I V M

- 1 **D**e figura quam faciunt in Curia, Oratores.
- 2 De differentia inter Oratores ordinarios & extraordinarios.
- 3 De distinctione inter Oratores Principum, & Ciuitatum subditarum.
- 4 Laudatur Stylus, ut Ciuitates etiam subditæ retineant Oratores apud Principem proprium.
- 5 Quale ius attendatur in exemptionibus oratorum Principum.
- 6 De legibus loquentibus de Oratoribus Principum.
- 7 Quod erroneum sit proceditorum cum regulis legalibus.
- 8 Ideoque ista materia incongrua est iuristis.
- 9 Exemptio personarum Oratorum est certa.
- 10 De Stylo, & dominio antiqui Imperij Romani.
- 11 Quid de eorum comitibus, & familiaribus,
- 12 De quibus exemptionibus, & franchitijs loquantur Doctores.
- 13 De eodem circa cognitionem causarum.
- 14 De eodem de quo num. 7. & 8.
- 15 De prudenti responso Innocentij X super debitis contractis per Oratores
- 16 De eodem de quo num. 5. & sequ.

DISC. XLV.

1 **I**nter illas, publicas, & cõpicias personas, quæ in Curia, magnam faciunt figuram, atque Magistratum speciem redolere videntur, cum ipsius Curia magno decore, ac maiestate; Meritò censendi veniunt, Imperatoris, & Regū, aliorumque Principum, & Republicarū, ac aliquarum Ciuitatum Oratores apud Pontificem; Istique sunt duplicis generis, Alij enim extraordinarij dicuntur, qui mittuntur, vt Pontifici nouiter creato, ipsorum Regum, & Principum, aut Republicarum nomine, obedientiam præ-

stent, illumque in Beati Petri successorem, & Christi Vicarium recognoscant; Alij verò ordinarij, qui apud ipsum Pontificem eiusque Curiam, pro suorum respectiue Regum, vel Principum, aut Republicarum negotijs assistunt, vt generaliter in Imperatoris, ac Regum, & Principum, & Republicarum Curijs, iste promiscuus Oratorum vsus habetur.

Differunt autem, extraordinarij, ab ordinarijs in aliquibus præeminentijs, vel honorificis tractatibus, quibus primi, non autem alij potiuntur; Tū circa receptionis, vel audientiaē magnam solemnitate, in publico Consistorio, præuia duplici solemnī equitatione, vna scilicet in ingressu Urbis, et altera pro admissione ad audientiam cum occurso, & associatione respectiue familię Papæ aliorumque Prælatorum, & nobilium, iuxta ea quæ supra agendo de collegio Prothonotariorum, ac etiam infra agendo de huiusmodi solemnibus equitationibus recensentur; Tum etiam, quod ex ipsorum Principum diuersa qualitate, vel præeminentia, in diuersis Regijs, vel Ducalibus aulis recipiuntur, atque ad Pontificis mensam admittuntur, aliosque honorificos tractatus recipiunt, vt posè Oratores magis solemnnes, ratione solemnioris negotij, quod peragunt; Ac etiam, quia, vbi de Republicarum, vel Ciuitatum Oratoribus agitur, ordinarij sunt singulares, nēpè vnus tantū, qui apud Pontificem assistit; Extraordinariorum verò numerus est maior, dum ad vniuersitatem denotandam, quatuor esse solent.

Ordinariorum verò honorifica tractamenta varia sunt, pro ipsorum Principum diuersa qualitate, ac maiori, vel minori præeminentia; Tam circa modum familiariter alloquendi in aula Summum Pontificem, sedendo super scabello, & capite cooperto ad instar Cardinalium, vel respectiue stando capite discooperto; Quàm circa alia, quæ ad cerimoniarum Magistratos potius pertinet, atq; Curiam cerimoniam percutiunt; Ac etiam circa exemptiones & immunitates, quas de iure, vel de facto obtinent ex aliqua tolerantia, & quarum expressio solum, huic relationi congruit.

Ad hunc autem effectum, alia huiusmodi distinctio cadit, (siuè sint ordinarij, siuè extraordinarij), inter illos scilicet,

cet, Regum, & Principum, ac Republicarum, in quibus recognitio, pro sola spiritali superioritate pontificia fiat, vel subiectio cadat, absque actuali subiectione in temporalibus, iuxta distinctionem de qua supra habetur, agendo de Pontificis potestate; Et Oratores Ciuitatum subditarum Papæ in temporalibus; Ut sunt tam Ordinarij, quam extraordinarij Oratores Ciuitatum, Bononiæ, & Ferrariæ, quarum nobilis, & generosus stylus, perpetua quidem cōmēdatione dignus est, ad aliquam confusionem (ex zelo, & beneuolentiæ motiuo insinuatam) aliquarum magnarum, & metropoliticarum Ciuitatum subditarum, & præsertim Neapolitanæ; Siquidem licet præfata Ciuitates nimium nobiles, & qualificatæ sint, atque aliquam considerabilem habeant ditionem vel prouinciam; Attamen cōparatiuè, minores, vel parua dici possunt tam scilicet facta comparatione populi, ac Baronum, & Magnatum & nobilium, ipsarum Ciuitatum respectiue, quam etiam facta comparatione ditionis, vel prouinciæ, cuius respectu, vel de iure, vel de facto, ea sit metropolitica, & caput; Siquidem prædictarum Ciuitatum, prouincia, vel ditio respectiue, longè minor est, quam sit omnium minor, magisque exigua prouincia, ex duodecim, ex quibus illud Regnum constituitur; Et tamen istæ Ciuitates, cum magno decore, quandam Principum, vel Republicarum figuram faciendo, quatuor Oratores obedientiæ nouo Pontifici transmittunt, atque ordinariū fixum Oratorem, apud eum retinent, qui ad audientiam Papæ statutis diebus, ad instar Oratorum Principum cum decenti tractatu, admittuntur (cum ea tamen differentia, quæ faciendæ est inter subditos, & non subditos temporales); Atque in dies, tractando cum Cardinalibus, alijsque Curie officialibus, priuilegiarum, ac iurium propriæ Ciuitatis conseruationi vacant, & quærelas, vel recursus oportunè porrigunt aduersus grauamina quæ recipian-

tur à Legatis, alijsque Officialibus, quibus non modicum frænum id infert; Commendatione verò dignus è conuerso non videtur ille stylus Neapolitanæ Ciuitatis, & similium, transmittendi solum ad proprium Principem, Oratorem extraordinarium, pro extraordinarijs occasionibus, quærelarum, & recursuum, per quandam speciē odibilis, ac non existimabilis accusatoris vel instigatoris, quæ redolere videtur, ideoque inconuenientibus non occurritur, ut oportunè occurreretur, si fixus & ordinarijs Orator in Curia Regis teneretur, neq; ita Proreges alijsque Magistratus conquærendi occasionem haberent, eisque maius frænum inferretur.

Quatenus itaque pertinet ad huiusmodi Oratorum, Regum, & Principum, & Republicarum non subditarum, exemptiones, & immunitates, ob quas (ut præmissum est), quandoque de facto, iuxta rerum, ac temporum contingentias, Tribunalium, vel Magistratum quandam imaginem præferre videntur; Iuristarum stylum irrisione dignum perpetuo censui, atque inter maiores eorum ineptias recensere consueui eorum labores, quodque cum legalibus regulis, vel propositionibus, aut cum DD. traditionibus, hanc materiã agere satagant.

Quamuis etenim, in iure ciuili, aliqua, super Legatorum, & Oratorum, eorumque comitum, & aulicorum exemptionibus ac priuilegijs statuta habeantur A; Attamen, inspecto statu Reipublicæ, vel Imperij Romani, de tempore quo huiusmodi leges prodierunt, seu conditæ sunt, illæ non adaptantur Oratoribus Principum, qui in temporalibus, æquè supremi sint, nullam patientes subiectionem, Adeoût (ex alijs insinuat) eorum quilibet dicatur Imperator in proprio principatu, qui Imperij speciem redoleat, cū magis & minus non variet speciem; Istorum etenim Principum copia, & diuersitas hoc posteriori Imperij tempore, nõ dabatur, minusque Republicarum, aliarumque

A. l. *fn. ff. de legation. l. lege Italia 1. ff. de Republica cum concord. per Decian. tractat. crim. lib. 7. c. 5. Caball. resol. crim. 150. Farinac. quest. 112. nuu. 160. Villadiego de legat. Theatr. vitæ human. verbo Legatus vers. violatio legationis.*

rumque Ciuitatum vsus, qui circa initia infantis, vel adolescentis Reipublicæ habebatur, dum effecta maior, amicas, & socias, æquè ac inimicas Ciuitates, vel prouincias tractauit, suoque Imperio subiecit, confæderationem, & amicitiam conuertendo in subiectionem B; (Quod etiam, in aliquibus paruis Republicis Italiæ, retroactis modernis sæculis, contigisse, per chronicas edocemur) adeoût illi, qui Imperio subditi non essent, hostes reputarentur; Et consequenter ea quæ de Oratoribus, & Legatis disponuntur in dictis legibus, cum quarum dispositione, legaleica simplicitas, quamplurium scriptorum procedere videtur, illos percutit Oratores seu Legatos, quorum imaginem repræsentant, vel speciem constituunt præfati Oratores subditarum Ciuitatum, Bononiæ, & Ferrariæ.

Respectu verò Oratorum Regum, & Principum independentium; Erroneum videtur cum huiusmodi legalibus propositionibus, vel Iuristarum traditionibus procedere, dum in ijs potius intrant politicæ rationes, ac propositiones illius iuris, quod vulgò dicitur gentium; Cuius tamen dispositio, nullibi scripta habetur, vnde propterea quilibet prohibito, illam effingit, seu constituit, ex quodam ipsorum Principum vsu, qui in hoc proposito legem statuere videtur; Siuè potius hanc legem statuit, atque huiusmodi quæstionem decisor est, illud verbum, quod efformatur ex illis met literis, ex quibus efformatur ipsum ius, vnus earum ordine immutato, ut alibi aduertitur C; nostra ætate pluries praxis docuit; Vnde propterea chronistarum frequenter mendaces, ac affectatas traditiones exquirere non oportet, quoniam reuera cum eisdem iuxta temporum contingentias, & oportunitates praxis varia esse consuevit, & solet.

Quidquid itaque sit de prædictorum, Oratorum seu Legatorum independentium exemptionibus, immunitatibus, & priuilegijs, de quibus meum non est agere, cum reuera Iuristis ista incõgrua sint.

B. tit. de præminent. disc. 35.
C. tit. de dote disc. 146.

Quatenus pertinet ad legalia, quæ adaptabilia sũt illis Oratoribus, de quibus, ut supra loquuntur leges ciuiles, cū quarum dispositione Iurista procedunt; Quoad exemptiones & immunitates personarum ipsorum Oratorum, concors est Doctorum sententia, super earum competentia, cum ipsæ met leges, tales personas venerabiles, & quodammodo sacrosanctas reputent, ideoque potius dimittendæ quàm offendendæ sint, quoties eas beniguè recipere, ac tractare non videatur D; Idque etiam illis temporibus praxis dare poterat, respectu illorum Regum, aliorumque dominantium, vel Ciuitatum, aut prouinciarum, quæ à fide, ac subiectione defecissent, ut in gratiam reciperentur; Et sic semper, iure subditorum potius, quàm æqualium, dum Romanum Imperium, æqualem recognoscere dedignabatur, duasque solum constituabat species; Vel scilicet subditorum, & dependentium; saltim in ratione tributis; Vel hostium, attentio (ut præmissum est) tempore, quo huiusmodi leges conditæ sunt, non autè primæuo, infantilis, vel puerilis ætatis Reipublicæ; Et ex quorum temporum neglecta distinctione resultant aliquorum æquiuoca, erroresque manifesti.

Quare apud nostros, disputandi occasio cadit, respectu familiarium, an scilicet cum eis idè procedat, quod cum ipsismet Legatis & Oratoribus; Dubitãdi ratione præbentibus præmissis legibus, ut potè loquentibus etiam, de ipsorum Legatorum comitibus, quæ scilicet personæ sub hoc nomine seu vocabulo comitum veniant; Aliqui enim putant, quod soli assessores, vel consiliarij, siuè ipsius legationis necessarij, & connaturales ministri veniant, cum ipsi quoque ab eadem Ciuitate, vel ab eo, cuius nomine legatio habeatur, transmitti dicantur, eiusdemque corporis membra censenda sint, cuius ipse Legatus sit caput, ad idem opus perficiendum destinata vel apta E; Alij verò, ut inferiorum famulorum, vel familiarium præfati solum veniant F; Et alij, ut indefinitè veniant omnes famuli, seu familiares, qui

P. 2. Relat.

F f

qui

D. in dictis iuribus lit. A.

E. glos. in dicta lege Iulia, & in l. sed addes in fin. ff. locati.

F. in Theatr. vitæ humanæ verbo Comitatus.

qui in ipsius Legati, vel Oratoris obsequio, ac seruitio sint, cum omnes ipsum pariter comitari dicantur; Istaque posterior opinio maiores habet sequaces, magisque recepta videtur. G.

Verum & in hoc dignosci videtur aliquod æquivocū præsertim apud modernos, cum istius opinionis auctor, qui apud Iuristas antesignani nomen seu vocabulū fortiri solet H, percipiat exemptionem, à represalijs, ac etiam ab aliquibus vici-
12 galibus, & pedagijs, à quibus, cum sint indicta priuatis ciuibus, & incolis, congruit vt huiusmodi Legati, & Oratores, omnesq; eius comites & familiares exēpti sint, dum eorum accessus, vel mora respectiue, est occasionalis.

Siuè etiam quoad iurisdictionalia, tam in ciuilibus, quàm in criminalibus, vt pro delictis, quæ in propria patria, seu alibi
13 patrata sint, vel pro debitis alibi contractis, etiã in ipsa Vrbe, sed prius, & in alio tēpore, aliaue occasione, molestias pati tō debeant, de tempore quo, istam publicam functionem peragunt; Et sic per quādam speciem illius franchitiæ, vel immunitatis, quæ concedi solet accedentibus ad nundinas, aliaque publica emporia; Siuè illius exemptionis, quæ conceditur Episcopis, eorumque familiaribus, quando accedant ad visitandū limina Apostolorum vt eas recipere non valeant molestias, quas in ipsa Vrbe tanquam in communi patria, vel residentia Principis, ideoque in foro competenti, seclusa ista occasione, aliàs pati possent L; Istique sunt termini legales, qui Iuristis congruunt.

Manifestus autem eorum error est, se ingerere in illis terminis politicis, vel congruentiæ, cum quibus procedi debet,
14 vel solet quando agatur de Oratoribus supremorum Principum independentiū, eorumque familiarium, vel domesticorū; Quoniam in his, vel consuetudo, vel aliæ temporum contingentiæ totum faciunt, iuxta regulas prudentiales potius, quàm

legales, etiam respectu criminum, quæ in ipsa Vrbe patrantur, siuè debitorum, quæ ibidē contraherentur, et super quibus integer locus veritati relinquatur, nihil desuper firmando, minusq; proprium interponendo iudicium.

Illud autem in hoc proposito æris alieni, quod in ipsa Vrbe per Oratores, eorumque familiares contrahatur, cum mercatoribus, & alijs, ratione mercium, vel victualium, quæ pecunia credita data sint; Memoria dignum videtur, prudentissimi, magnique Pontificis Innocentij Decimi oraculum; Quod scilicet, aliquibus mercatoribus, alijsq; negotiantibus, ad ipsum recurrentibus pro administratione iustitiæ, & coactione cuiusdam Oratoris qui à Curia discedebat, saltem per sequestrum vel arrestum bonorum, eos interrogauit, an inuiti, & coacti, ea bona, & victualia, vel pecunias creditissent, ob aliquā scilicet potentiā, quæ cū eis adhibita esset, Vel potius, quod vtronei, etiam cum fauoribus & diligentijs, imò cum muneribus & corruptelis ministrorum, tanquam per speciem concursus ad beneficium id egissent; Quoniã primo casu, libenter iustitiam ministrari demandasset, cum sequestro bonorum, quinimò offerebat eius interpositionem apud eiusdem Oratoris Dominum, per eius Nuncium pro coactione; Quinimò quod in omnem euentum, nè sub eius regimine, ac publica fide elusi remanerent, ministris cameralibus, ex ipsius met Camerae ære, illorum satisfactionē demandasset; In altero autem casu, sibi ipsis imputarent, cum ita, ob spem magni lucri, quod huiusmodi mercatores, & negotiatores facere satagunt, dando merces, & victualia Oratoribus, alijsq; exteris Magnatibus & nobilibus qui ad Curiam accedunt, pecunia credita, quandam speciē contractus, super incerta alea inire videantur; Atque ita in huiusmodi recurrentibus sequutum fuit, id quod in Evangelio

gelio

G. Bald. in l. administrantes §. eorum ff. de excusat. tutor. Bonac. de famul. quest. 35. Bertachin. de gabell. par. 7. quest. 13. num. 35. Franch. March. dec. 425. Villadieg. de Legat. par. 3. quest. 5. n. 10.

H. Bald. ubi supra.

I. tit. de Regal. dist. 131. & 132.

L. tit. de iurisdic. dist. 89.

gelio legitur de accusatoribus adulteræ, ex Christi Domini oraculo, vt qui sine peccato essent, in eam lapides iniicerent. In reliquis autem, vt præmissum est, totū facere videntur principatum styli, qui etiam pro rerum, ac temporum circum-
16 stantijs, & oportunitatibus, varij esse solent, atque à prudentialibus potius, quàm à legalibus regulis normam recipiunt ideoque profus incongruum, est Iuristis de his agere.



De Curialibus causidicis, nempe; De Aduocatis, De Procuratoribus, vel causarum Patronis; De sollicitatoribus, & alijs causarum, vel negotiorum actoribus; Istaque occasione agitur de Collegijs Aduocatorum, & Procuratorum Consistorij; Et de Aduocatis fisci; Et pauperum; De Procuratore fisci; De Commissario Camerae; Et Procuratoribus pauperum.

Ac etiam de modo scribendi, vel consulendi, tam in facto, quàm in iure; Et de modo orandi, siuè informandi in voce.

I.

De Curialibus, eorumq; diuersis speciebus, à num. 1. ad 14

II.

De Aduocatis Consistorialibus, & non Consistorialibus, à num. 15. ad 68.

III.

De Aduocatis pauperum, & Camerae, & fisci, à num. 69. ad 96.

IV.

De Procuratoribus collegialibus, & non collegialibus, à num. 97. ad 117.

V.

De Fiscali Urbis, Commissario Camerae, &

procuratoribus pauperum, à num. 118. ad 126.

VI.

De Sollicitatoribus, & Agentibus, à num. 127. ad finem.

S V M M A R I V M

- 1 **S** Vb nomine Curialium qui veniant in generali significatione.
- 2 Et qui iuxta usum loquendi Curia.
- 3 De eodem, & qui sint Iudicis, qui dicuntur etiam curiales.
- 4 De distinctione plurium specierum curialium.
- 5 De distinctione plurium specierum Aduocatorum.
- 6 De eadem distinctione Procuratorum.
- 7 De examine Procuratorum, vt scribere possint in Rota,
- 8 Sub nomine Procuratorum in Curia, qui proprie veniant.
- 9 De antiqua distinctione inter Aduocatos, & causarum Patronos.
- 10 Quales essent antiqui oratores et an differant, ab Aduocatis.
- 11 Quid importet Aduocatio, seu nomen Aduocati.
- 12 De eadem distinctione de qua, supra num. 4.
- 13 Oratorum nomen quibus hodie conueniat.
- 14 De erroribus scriptorum adhibendi nunc aliqua vocabula antiqua.
- 15 Qui sint proprie Aduocati Curia Romana, & in quibus versetur eorum munus, & à quibus se abstineant.
- 16 De Aduocatorum mercede, & infra num.
- 17 Quod etiam Clerici in Sacris hoc munus in Curia exercent, & de rationibus.
- 18 Quomodo se informant de facto, eiusque circumstantijs.
- 19 Quales partes, vel dotes habere debeant Aduocati, & defensores.
- 20 De maiori peritia quæ necessaria est in Aduocatis Curia Romana, & de ratione.
- 21 De errore opinantium quod Professores Curia non bene calleant ius ciuile, & materias praphanas.
- 22 Quod in Vrbe seruetur potius ius ciuile.
- 23 De integritate, quæ in Aduocatis requiritur, & quod adsit in Aduocatis Curia.